



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 139. Joannis Alberti Poloniæ Regis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

§. CXXXIX.

Joannis Alberti Poloniæ Regis
obitus.

Sæcul. XVI.

A.C. 1502

Eodem anno Joannes Albertus Poloniæ Rex Casimiri Filius e vita migravit. Is anno millesimo quadingentesimo quinquagesimo nono natus, & consentiente Wladislao fratre suo natu majore Hungariæ ac Bohemiæ Rcx anno salutis millesimo quadingentesimo nonagesimo secundo salutatus est. Princeps erat scientiarum laude celebris, præcipue vero in omni historia versatissimus, in milites suos liberalis, in bello tamen adversa plerumque fortuna jactatus. Arma inferebat Stephano Valachiaë Vaivodæ, verum ab hoste in insidiis latente profligatus, Turcarum auxilium implorare compellebatur. Hujus infortunio Fridericus de Saxonia supremus Prussorum Equitum Magister opportune usus, clientelare obsequium, quod ex Prædecessorum suorum pactis Regi præstare tenebatur, profiteri recusabat, a Maximiliano Cæsare, aliisque Germaniæ Principibus ad hanc repulsam incitatus; hi enim, ut seditioni accederet, Fridericum promissorum amplitudine expugnabant. Ast Joannes Albertus, dum jus suum armis prosequi parat, mortis invidia vivis eripi-

Michov.
Sarma. lib. I
Et hist. Pol.
l. 4. c. 79.
Cromer. l. 30.
Raynald.
ann. 1502.
num. 84.

KIX.

Sæcul. XVI. eripitur, die decima septima Junii apo-
A. C. 1502. plexia oppressus, anno ætatis suæ circi-
 ter quadragesimo secundo, regni sui no-
 no; ejus corpus Torunia, ubi obiit, Cra-
 coviam delatum, in Ecclesia arcis sepul-
 tum est. Hic Princeps semper cælibem
 vitam duxit, hinc Alexander ejus frater
 tertio genitus, magnus Lithuaniae Dux
 illi in regno successit, unde Lithuania Po-
 lonico sceptro conjuncta fuit: Ille au-
 tem ex Lithuania Cracoviam delatus,
 a Friderico fratre suo Gnesnensi Archi-
 episcopo solemnî ritu sacro oleo inunctus,
 & die duodecima Decembris, in quam
 tertia Adventus Dominica incidere, co-
 rona redimitus est: Ejus tamen conjux
 Helena Joannis Moscoviæ Ducis filia,
 cum Græcorum ritus profiteretur, solitis
 cæremoniis haud coronata fuit.

§. CXL.

*America ab Americo Vesputio
 detecta.*

*Maffæus
 hist. Indiar.
 lib 2.
 Raynald. l. c.
 n. 85.*

Postquam Christophorus Columbus sub
 Ferdinandi, atque Isabellæ auspiciis
 in Atlantico Ponto novum Orbem in-
 structa hanc in rem classe detexisset,
 Regem Catholicum novæ hujus felicita-
 tis gloria, quam sibi inde conciliaverat,
 adeo stimulabat, ut denuo quasdam ter-
 ras, ac Insulas adinvenire, eoque classia-
 rios